



## **Commentariorum ac disputationum, in tertiam partem divi Thomae tomi quinque**

Accvratam Qvæstionvm D. Thomæ, Ab LXXXIV. Vsque ad finem: &  
Disputationum de virtute Pœnitentiæ, De Clauibus, De Sacramentis  
Pœnitentiæ, & Extremæ Vnctionis, De Purgatorio, Suffragiis & Indulgentiis,  
expositionem complectens : Accesserunt Indices quinque: ... Postremus

**Suárez, Francisco**

**[Köln], 1616**

Sectio 3. An teneatur confessor seruare sub sigillo peccatum illius.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93815](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93815)

Dico ergo, in hoc casu non debere poenitentem alienum peccatum manifestare, etiam si necesse sit aliquam speciem criminis non declarare: existimoque Doctores antiquos non sine causa locutos esse specialiter de complice, non de alia persona: unde quoad hanc partem sententia hæc maiori Doctorum auctoritate nititur. Ratio vero est, quia hic cessant cause illæ, quæ reddebant detractionem illam materialem: erit ergo formalis, & sic intrinsece mala: & ita procedunt optime reliqua fundamenta prioris sententiæ. Antecedens declaratur: nam in primis cessat hic ratio sumpta ex natura iudicii, quia quando persona non est sociæ criminis, nullo modo voluntate sua se immiscuit peccato alterius, & consequenter nec ex vi sui peccati se subiecit iudicio, vel cognitioni alterius, & ideo ex hac parte nullum ius, nullæve iurisdictionem directe, vel indirecte habet iudex ad cognoscendum tale peccatum, vel poenitens ad accusandum peccatum suum, implicando vel potius explicando peccatum alterius. Cessat etiam alia ratio sumpta ex reverentia sacramenti: tum quia hic casus est rarissimus, & ex illo non potest sumi occasio moralis occultandi peccata: tum etiam quia maior reverentia est, ut integritas seruetur rationabili modo: nulla autem ratio patitur, ut is qui inuitus recepit vnam iniuriam, postea nouum detrimentum accipiat ex confessione eiusdem, qui iniuriam inuit, solum propter integritatem confessionis illius. Unde etiam cessat tertia causa sumpta ex utilitate poenitentis, ipse enim debet sustinere onus, & reportare incommodum, ne alius incurrat detrimentum, cum ipse solus voluntate sua, & sine alterius cooperatione totum illud delictum commiserit.

35 Observandum vero est, ut in huiusmodi casu poenitens confiteatur suum peccatum quantum potest, sine explicatione personæ in particulari: ut si persona offensa est pater, dicat se offendisse tali modo personam valde sibi coniunctam, & sic de aliis. Illud etiam obseruatione dignum est, sæpe esse necessarium explicare personam ad declarandam circumstantiam aliquo modo diminuentem, ut in dicto exemplo, si quis infamauit alium, & addat se vera dixisse, quanuis iniuste, illud additum determinat peccatum ad circumstantiam minoris malitiæ: quia grauius esset peccatum, si fuisset falsum testimonium: & ideo tunc facillime excusari potest aliquid ab explicatione talis circumstantiæ cum detrimento tertiæ personæ: quia quanuis peccatum simpliciter dicatur, confessor intelligit, ut minimum habere illam malitiam, quod satis esse potest. Et in hoc nulla est difficultas: quia circumstantiæ minuentes non ita sunt de necessitate confessionis, sicut aggravantes. Idem vero censeo de aggravantibus, addedo etiam nouam speciem propter rationes adductas.

### SECTIO III.

*Vtrum teneatur confessor seruare sub sigillo peccatum complicis, & non vti illa scientia, etiam in bonum poenitentis sine licentia eius.*

1 Videri potest sigillum confessionis non extendi ad personam complicitis: quia obligatio sigilli solum imposita est in gratia poenitentis, & in fauorem eius. Item: quia complex nullum secretum commisit sacerdoti: ergo, licet fortasse ex lege iustitiæ de non infamando proximo, teneatur sacerdos non reuelare peccatum complicis, non tamen ex obligatione secreti, cum illi nullum fuerit secretum à complice commissum: ergo neque ex obligatione sigilli, quod rationem secreti includit, vel supponit.

A Aliunde autem apparet, etiam ex licentia poenitentis non posse sacerdotem loqui de peccato complicis: quia ex eo quod talis noticia per solam confessionem ad sacerdotem peruenit, est noticia sacra, & sacramentalis, quam propterea violare non licet. Ex eo vero, quod tale peccatum pertinet ad alterum, & non ad poenitentem, non potest sufficere licentia eius: quia, ut supra dicebam, poenitens, dâdo licentiam, non dispensat in præcepto, sed cedit iuri suo, unde fit, ut respectu illius cesset materia præcepti quando ipse dat facultatem. At vero respectu alterius non potest ipse cedere iuribus: ergo, quanuis det licentiam, non mutatur materia, & consequenter nec cessat obligatio præcepti.

### Prima Assertio.

Nihilominus dicendum primo est, eodem sigillo teneri sacerdotem ad seruandum secretum circa peccatum complicis, quo circa personam poenitentis. Hæc est communis sententia in 4. d. 21. vbi Scotus quæst. 2. §. De quid dicit. Gabr. art. 3. dub. 2. Palud. quæst. 3. art. 2. conclus. 1. Richard. art. 4. quæst. 4. Soto dist. 19 q. 4. art. 5. & Relect. de Secreto, membr. 3. quæst. 4. Ledesm. 2. part. 4. quæst. 10. art. 5. Syluest. Seco Confessor, 3. quæst. 6. Denique Doctores omnes citati sect. præced. supponunt hanc obligationem in confessore, ut poenitens possit peccatum complicis in confessione reuelare: quia si timeat confessorem reuelaturum complicitem, omnes Doctores negant licere tunc complicitem reuelare, etiam si necessit peccatum proprium non integre diceat: at vero, si confessor non obligaretur sub sigillo respectu complicis, nulla posset esse securitas, neque infamatio proximi per se regeatur hoc sigillo, ut in præcedentibus sectionibus supponebamus. Et fere hæc est ratio à priori huius veritatis: nam omnia illa quæ sunt necessaria ad integram confessionem faciendam, cadunt sub sigillum: sed vnum ex his necessariis est persona complicis: ergo Minor supponitur ex facto ipso. Maior vero constat ex superioribus dictis: nam sigillum ad hoc præcipue ordinatur, ut poenitentes libere, & sine timore possint integre confiteri. Unde hoc confirmat Scotus: quia etiam poenitens vult famam personæ cum qua peccauit, custodire sicut suam: ergo etiam ex hoc capite inducitur sigillum.

D Dices: Ergo si poenitens, ex ignorantia, vel malitia reuelaret peccatum proximi sine necessitate: quia poterat optime confiteri peccatum suum sine reuelatione alterius, tunc non teneretur confessor ad sigillum: quia iam tunc illa noticia complicis non daretur propter integritatem confessionis. Respondetur negando sequelam: quia satis est, quod de facto manifestatio peccati alterius fiat quasi coniunctum & oblique ad manifestandum peccatum proprium: nam eo ipso totum illud est pars confessionis propriæ: quod autem hoc prudenter fiat necne, seu quod possit aliter fieri, non impedit obligationem sigilli, ut supra in similibus dixi: quia hæc obligatio oritur ex confessione prout actu fit, non prout fieri deberet, aut posset: alias nunquam possent poenitentes esse securi de sigillo orto ex confessionibus suis. Et propositio esset contrariationem, ut propter imprudentiam, vel malitiam poenitentis obligatio secreti respectu complicis minueretur, cum alias maior iniuria ei fiat, imo tunc solum fiat, quando peccatum eius sine causa reuelatur.

Nihilominus tamen necessarium est, ut peccatum alterius reueletur, ut pars confessionis propriæ ipsius poenitentis, seu tanquam quid pertinens ad illam: nam, si aliquis cum propriis peccatis solum concomitanter diceret etiam aliena, tunc illa peccata aliena in rigore non manerent sub sigillo: quia nullo modo pertinerent ad accusationem poenitentis, & sola concomitantia non sufficit ad sigillum, ut supra



**3** Respondent aliqui, licentiam penitentis in his, **A** quæ ad ipsum tantum pertinent, sufficere ad tollendam obligationem seu materiam sigilli: in his vero, quæ pertinent ad personam complicis non sufficere licentiam penitentis, sine licentia complicis: quia sigillum quoad hanc partem in fauorem ipsius complicitatis impositum est, quo non potest priuari nisi sua voluntate: & ideo donec ipse facultatem faciat, non tollitur obligatio sigilli. Sed hoc nullus antiquorum Theologorum dixit; nec sustineri profecto potest. Nam in primis moraliter repugnat petere huiusmodi licentiam à complice: nam oportet prius illi aperire notitiam per confessionem obtentam, ut possit ab illo per licentiam vtendi illa, vnde ante obtentam licentiam manifestaretur confessio. Quod **B** si quis dicat, ad petendam hanc facultatem à complice sufficere priorem facultatem penitentis, iam inde habemus ad loquendum cum ipsomet complice de peccato illius in ordine ad aliquem finem sufficere licentiam penitentis: ergo etiam sufficere in ordine ad quemlibet bonum finem, qualis est defensio vel satisfactio penitentis, obtinenda tantum ab ipsomet complice, qui fere est moralis casus, in quo maxime solet confessor in praxi iurare penitentem, de licentia ipsius, apud suum complicem. Deinde nulla est ratio, ob quam licentia complicis requiratur: quia ipse non commisit secretum confessori, sed solus penitens: ergo solus ille est à quo pendet hoc secretum: ergo solus ipse sufficit dare licentiam loquendi, quantum est ex parte sigilli. Confirmatur, ac declaratur: nam directe causa penitentis est quæ cadit sub sigillo, reliqua vero solum quatenus ad hanc causam pertinent: sed penitens potest dare licentiam de tota hac causa: quia ipse solus est qui eius accusationem sub tali secreto facit. Tandem penitens posset ex legitima causa, & propter suum bonum narrare sacerdoti extra confessionem totum factum cum circumstantiis, & dare licentiam loquendi de illo quantum oportuerit: ergo magis potest hanc licentiam dare ad loquendum de eadem re in confessione audita: quia, si respiciamus fauorem, & commodum complicis, hoc multo maius est: quia eius infamia minor est, si vero inspiciamus rationem ipsius sacramenti, ipsum quantum est ex parte sigilli solum postulat, ut secretum seruetur pro iusta voluntate penitentis. Dico autem semper, quantum est ex parte sigilli: quia ex ratione iustitiæ, & ex sanctitate ipsius sacramenti, necessarium est, ut talis licentia non detur cum iniuria complicis nec sine causa honesta, ad quam possit tale medium sancte referri.

**9** Atque ita facile responderetur ad id, quod attingebatur de fauore complicis. Primum enim negamus sigillum per se respicere fauorem complicis, sed solum per quandam redundantiã, quatenus oriri potest ex fauore penitentis, & religione sacramenti: fauor autem penitentis solum est, & quod secretum pendat ex honesta voluntate eius, & quod possit illam notitiam ordinare ad vtilitatem suam, præsertim spirituales, cum minimo incommodo suo, prout fit seruando idem sigillum & dâdo facultatem: neque ex hac parte plus postulat religio sacramenti. Deinde dicimus, hoc ipsum etiam redundare in fauorem complicis, ne delictum eius sub minori secreto proferatur: igitur ex hac parte euident est nullam esse malitiam in illo vsu: quia nullo modo violatur sigillum confessionis.

**10** Alij vero respondent esse aliam deordinationem in illo vsu, nimirum quod res superioris ordinis, videlicet, sacramentalis confessio, ordinetur ad res inferioris ordinis, vel certe ordinetur ad finem ad quem non fuit instituta: vtrumque autem videtur esse contra debitum ordinem, & contra religionem debitam sacramento. Sed hæc obiectio, ut sæpe in superioribus insinuauimus, falsum assumit: quia neque

est malum ordinare rem superiorem ad inferiorem, quando vtræque est honesta, & habent aliquam proportionem vtilitatis, seu conuenientie: neque etiam est malum ordinare aliquid ad finem extrinsecum, vel accidentarium bonum, quando non excluditur primarius, seu intrinsecus.

Quod vt in presenti euidentius fiat aduerto, hic tria interuenire, confessionem sacramentalem, notitiam quæ ex illa relinquitur, & vltimum huius notitiæ, quæ extra confessionem permittitur, seu conceditur ex licentia penitentis. Confessio quidem ipsa, quatenus sacramentalis est, recte appellatur res superioris ordinis, & per se primo ordinanda est ad compositionem sacramenti, & ad effectum eius, qui est remissio peccati, neque potest vnquam licite fieri excludendo hanc finem, tanquam proprium, & primarium: non est tamen malum huic fini alium adiungere, quia interdum potest esse eiusdem ordinis, id est, spiritualis, vt si quis per confessionem huic viro factam simul intendat illum consolare de rebus postea agendis circa talem materiam, vel excitare illum, vt feruentius pro se oret. Interdum vero potest esse finis inferioris ordinis, id est temporalis, vt si mulier, quæ occasione egestatis Deum offendit, procuret sacerdoti diuiti, aut elemosinas facienti confiteri, vt sibi liberalius subueniat in temporalibus, non peccat, si tantum finistrum oculum (vt aiunt) aut secundariam intentionem ad hoc habeat. Notitia vero confessionis, licet per relationem ad

**C** confessionem sit quid sacrum, tamen in se est quædam humana, & naturalis cognitio, quæ in principio potuit obtineri sine vlla relatione ad extrinsecum finem, præterquam ad iudicium: in confessione ferendum: postea vero comparato illo fine, potest ordinari ad alios mediante alio vsu eius: quia hoc nec fini, nec religioni sacramenti repugnat, si talis vsus alioqui honestus sit. Hic autem vsus iam non est proprie res superioris ordinis: quia nec est sacramentum, nec pars sacramenti, sed est consilium aliquod, vel petitio humana, vel aliquid simile, procedens ex notitia comparata per sacramentum de licentia eius, qui potest eam dare.

Ex his ergo aperte constat, siue à principio confessio fiat propter illum finem extrinsecum, siue postea tantum super addatur, extendendo de licentia penitentis notitiam in confessione acceptam ad alium vsum bonum, & ad vtilitatem honestam ordinatum, nihil malitiæ, vel ordinationis esse in tali actu, neque aliquam iniuriam propterea fieri sacramento, vel alicui personæ, vt satis declaratum est. Atque hoc confirmat quotidianus vsus virorum prudentium, & piorum confessorum: nihil enim frequentius est, quam vt penitens iuuetur consilio, & industria confessoris, vt se defendat ab alio complice, qui eum sollicitat, & inducit ad malum: gerit enim contra illum quasi bellum iustum: & ideo licite quarit contra illum iustum consilium, & auxilium: ergo etiam honeste quarit illud per confessorum (vt supponimus) ad hoc aptum & prudentem: quia hoc supposito, nulla est via magis secreta, minusque onerosa alteri: præsertim quia hic fructus non est omnino extra finem confessionis, quæ non solum ad tollenda peccata commissa, sed etiam ad vitanda futura, ne committantur, ordinatur. Præterea sæpe accidit, vt socii delicti teneatur subuenire alteri, vel debium aliquod ei persolvere, vt verbi gratia, alere prolem, vel promissionem aliquam implere, ad quod sæpe necesse est, vt complex certior fiat de effectu subsecuto, & de obligatione quæ in eum resultat: solet ergo aliquando hoc fieri medio confessorum propter maius secretum, maiusque commodum vtriusque partis. Neque in hoc aliquid inordinatum inuenitur, cum omnia ordinatae sunt, & in bonum finem referantur. Et ita etiam responsum est ad posteriorem rationem duobus

**Antiquorum  
responsio.**

**Refellit.**

**Obiectio  
occurrit.**

**Non requirit  
licentiam  
complicis.**

**Diluitur  
rationes in  
fauorem  
complicis  
addu  
ta.**

**Aliorum  
responsio.**

**Refutatur.**

**Trium  
causarum  
fessio  
confessio  
notitia  
confessio**

**Notitia  
confessio**

**Notitia  
confessio**

**Notitia  
confessio**

**Notitia  
confessio**

**Notitia  
confessio**

**Notitia  
confessio**

tandi in principio positam. Neque contra hanc do- A  
ctinam inuenio aliquem grauem auctorem ex an-  
tioribus: solus Soto videtur aliquando verbum  
aliquod proferre, quo huic doctrinae minus sanere  
videtur: sed de illius & de aliorum sententia clarius  
constabit ex seq. sequent.

SECTIO III.

Vtrum liceat confessori vti notitia confessionis de  
licentia penitentis ad corrigendum compli-  
cem, vel impediendum eius delictum  
in bonum aliorum.

<sup>1</sup> **H**AEC quaestio videtur satis definita in precede-  
ti, tamen quia his temporibus specialiter con-  
trouersa fuit, necessarium est aliquid de ea in specie  
dicere. Aliquibus enim inordinata maxime res haec  
visa est, & communi bono, ac sacramento contraria.  
Primo, quia multum derogat sigillo vti notitia con-  
fessionis ad effectus adeo extrinsecos, & alienos a si-  
ne confessionis. Repugnat etiam hoc religioni tanti  
sacramenti: est enim illud veluti quoddam sacrum  
arcanum, quod non tam facile debet ad quoslibet  
alios vsus assumi. Neq; est cur penitente conceda-  
mus tam amplam potestatem faciendi facultatem  
confessori ad loquendum de rebus in confessione  
auditis: quia hoc ei non licet pro suo arbitrio, vt su-  
pra dictum est. Et quia vix potest esse vsus talis con-  
fessionis sine scandalo: quia regulariter existima-  
bunt compli-<sup>2</sup> ces, vel confessorem id facere sua au-  
toritate sine alia licentia, vel certe extorsisse licen-  
tiam decipiando, vel cogendo subditum peniten-  
tem. Quod declarat secundum, quia notitia confes-  
sionis non est accommodata ad finem, seu effectum  
correctionis: quia correctio est quid pertinet ad  
legem naturae, ad quam solam tenemur per media  
eiusdem ordinis, quae ante institutam confessionem  
locum habebat: confessio autem est res alterius or-  
dinis, ordinata tamen ad bonum penitentis, non  
vero ad correctionem complicit, vel defensionem  
aliorum.

<sup>2</sup> Praeterea est alia in proportio, quia correctio fieri  
debet ex notitia certa, alias non potest esse effi-  
cax: sed notitia confessionis in ordine ad hunc fi-  
nem non est certa: nam licet dictum penitentis pro  
illo foro, & in ordine ad ipsum fidem faciat, non ta-  
men contra alium: vnde facile potest complex il-  
lud negare, & sacerdotem eludere, eiusque corre-  
ctionem contemnere. Imo, si tunc sacerdos corri-  
gens ipsum maiorem fidem daret penitenti contra  
complicem, quam complici pro se ipso, iniuriam ei  
faceret: quia, sicut penitenti credendum est pro se,  
& contra se, ita & complici. Ex quo vterius fit, vt ex  
tali modo correctionis facile sequi possint dissidia,  
& scandala: ergo per se loquendo, hic modus cor-  
rectionis, neque expedit, neque licet. Et confirma-  
tur haec ratio: quia, si liceret hac via correctionem  
inchoare, liceret etiam illam proseguere usque ad de-  
nunciationem, vel coactionem complicit: si ad eius  
emendationem necessaria esset. Consequens est  
plane absurdum, vt per se constat. Sequela proba-  
tur: quia notitia, quae sufficit ad inchoandam cor-  
rectionem, sufficit ad proseguendam, alias impru-  
denter inchoaretur correctio. Tandem confirma-  
tur: quia alias superiores, & praetati possent vt con-  
fessionibus subditorum suorum tanquam medio ad  
suam gubernationem, & aliorum ad emendationem,  
& correctionem, ex quibusdam confessionibus a-  
liorum peccata cognoscendo, & facultatem ad peni-  
tentibus extorquendo ad corripiendos, & emen-  
dandos alios: consequens est valde absurdum & a-  
liquam ab vsu Ecclesiae: nam esse facere confesio-  
nem odiosam, & peruertere ordinem, & confunde-  
re internum forum cum externa gubernatione, ac  
deniq; esse occasionem praebere scandalis, & men-  
daciis. Nam cum in hoc foro nulla postuletur pro-  
batio, vnusquisque posset facile, & impune falsum  
testimonium aliis imponere.

Propter haec nonnulli Theologi, praesertim mo-  
derna, simpliciter damnant, vt illicitum huiusmodi  
vsus notitiae complicit per confessionem obrente,  
Pro qua sententia referri in primis possent illi Theo-  
logi, qui in vniversum negat posse confessorem lo-  
qui de rebus auditis in confessione, etiam de licen-  
tia penitentis. Et hoc modo videntur tenere hanc  
sententiam. Maior in 4. d. 21. q. 2. Angelus verb. Con-  
fessio, 1. §. 3. & Summa Rosella Confessio, 1. §. 6. qui se-  
quuti sunt Richard, d. 21. ar. 5. q. 2. Hi enim dicunt,  
in eo casu, in quo necessaria est manifestatio copli-  
cis ad eius correctionem, manifestandum esse extra  
confessionem, quia manifestatio in confessione in-  
utilis est ad correctionem: quod non esset verum: nisi  
supponeretur non licere vti scientia confessionis,  
etiam de licentia penitentis, aut perinde esse, dare li-  
centiam, ac dicere extra confessionem. Praeterea fa-  
uēt Bonau. d. 21. p. ar. 1. q. 3. & Alenf. 4. p. q. 77. mebr.  
2. ar. 4. Qui dicunt, tutius esse extra confessionem di-  
cere. Palud. vero ead. d. 21. q. 3. ar. 2. conclus. 2. rigoro-  
sius dicit, debere penitentem extra confessionem  
nominare complicem, si velit vti industria confes-  
soris ad praedictum finem. Soto denique d. 18. q. 2. ar.  
5. ad 4. absolute ait, non debere confessorem, etiam  
de licentia penitentis, & in commodum eius extra  
confessionem tractare negotium cum reuelatione  
coplicit, ne fiat odiosa confessio. Citatur etiam in fa-  
uorem huius sententiae D. Bernardin. Senen. in 3. p. D. Bern.  
Sermonum, serm. de Confessione peccatorum, in  
4. preparatione. Denique citatur D. Tho. d. 16. quaest. D. Thomae  
3. ar. 2. q. 5. ad 5. Sed ibi agens de complice, so-  
lum dicit, licere illum reuelare propter integra-  
tem confessionis: cetera vero non excludit.

Contraria sententia, videlicet hunc vsus esse li-  
citem de licentia penitentis, per se loquendo, ac se-  
cluso scandalo, seruat q; aliis circumstantiis secun-  
dum prudentiam requisitis, est communis Theolo-  
gorum, & Summarum. Et in primis sumitur ex D.  
Tho. Opusc. 12. q. 6. vbi dicit, non licere reuelare in  
confessione personam complicit, nisi saluato ordine  
correctionis fraterne: sentit ergo seruato hoc ordine  
licere. Expressè docuit hanc sententiam Capreolus  
4. d. 21. q. 2. ar. 3. ad 8. contra 3. conclus. dicens, de li-  
centia penitentis licere confessori complicem, vel  
alium peccatorem sibi in confessione manifestatum  
corrigeri. Et eadem fere verba habet Soneinas in  
Summa Capreoli ead. d. qu. 2. conclus. 2. ad 3. Idem  
docet expressè D. Anthonin. 2. part. tit. 14. c. 19. §. 11.  
& Adria. q. 1. de Confessione, §. Sed oritur ex his dubium,  
ad 4. clarius in dubio penultimo illius materiae, §.  
Ad primum, in responsione ad 8. & §. Ad motum alio-  
rum, vbi ad tertium sub distinctione ait, in utilitate  
suam, vel aliorum hoc licere penitenti, si per sacer-  
dotem facere potest, quod non valet per se ipsum.  
Idem expresse Gabr. d. 17. q. 1. ar. 2. conc. 5. qui argu-  
mentatur, si licet extra confessionem, multo magis  
in confessione, quamquam posterius disting. 2. ar. 3.  
dub. 2. eodem modo loquatur, quo Richard. cre-  
dens non esse contrarius, vt iam dicam. Idem ex-  
pressè Syl. Confessio, 1. q. 2. vbi dicit, vel esse reuelan-  
dum extra confessionem, vel dandam licentia con-  
fessori, quia quoad hunc effectum perinde est. Et ita  
explicat Richardum, Bonauen. & alios. Citat etiam  
in hanc sententiam Raymundum. Praeterea citatur  
Summa confessorum libro 3. tit. 34. quae id significat  
in quaest. 87. iuncta q. 100. Et eadem habet Alenfis in  
Summa 2. p. lib. 5. tit. 21. vbi alios refert. Idem Sum-  
ma Armil. verb. Circumstantia, numero 11. citans  
D. Thomam, & Antonin., & Summa Tabien. verb.

Prima sen-  
tentia nega-  
tiua.  
Maior.  
Angel.  
Rosella.  
Richard.  
Bonau.  
Alenf.  
Palud.  
Soto.  
D. Bern.  
D. Thomae  
4.  
Secunda  
sententia  
affirmatiua.  
D. Thomae.  
Capr.  
Sonein.  
D. Ant.  
Adrian.  
Gabr.  
Syluest.  
Richard.  
Bonau.  
Raym.  
Summa  
Confess.  
Alenf.  
Sum. Tab.

Fr. Suarez. tom. 4.

